



E libris

**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

T. q. 74.





DE  
**ANIMALIBVS**  
QVORVM FIT MENTIO  
ZEPHAN. II. 14.

---

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM  
ORDINE

PRAESIDE  
**IO. ERN. FABRO**

PHIL. D.

DISPUTABIT  
AVCTOR  
**ERN. LVDOV. FRIEDERICI**  
SLESVICENSIS  
SACR. LITTER. CULTOR.

---

GOETTINGAE D. APRIL. MDCCCLXIX.

---

LITTERIS BARMEIERIANIS.

DE

# ANIMALLIBAS

OVRUM TIT MENSIO

APPENDIX

CONVENTUS VARISSIMO PINDARICUM

ORDINE

PYRRHIDA

# I.O. ERN. FARR

ERIN

DILECTA

AVATOR

ERN. LUD. FRIEDERICI

SCSARACINIS

EXCELSA. ETAT. O. C. 1680.

CONVIVIA. ANNO. MDCCXII. O. A. E. R. N. F. F.

ETAT. EXCELSA. PARADELLA.

VIRIS  
PLVRIMVM REVERENDIS  
DOCTISSIMISQVE  
**CHRISTOPHORO BLVHM**  
ORATORI SACRO IN AVLA, QVAE HAFNIAE EST,  
REGIA,  
AVUNCVLO ET FAVTORI  
OMNI PIETATE COLENDO:

WILHELMO ALEXANDRO  
SCHWOLMANN,  
INTERPRETI VERBI DIVINI AVLICO ET  
FRIEDERICO BVRGENSI ARVD  
SLESVICENSES  
FAVTORI SVO  
OMNI HONORIS ET PIETATIS CVLTV  
PROSEQVENDO

AJRIIS

PLAVRIMVM TEEARE ENDI

HAS

DOCTISSIMOS

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

DICATAS ESSE VOLVIT

ORATORI SACRO IN AVA. GAVE HANNAE EST.

ET

CONSECRATAS

VANCAJO ET VATORI

OMNI TITRATE CONFINIO:

ERN. LVD. FRIEDERICI.

WILHELMO ALEXANDRIO

SCHWOLMANN

INTERRATAI YERI DIVINI VALIGO ET

ELIZABETHO BARONISI ADD

SALZACENIÆ

VATORI aq

OMNI HONORIS ET PLENTATIS CAVTA

TRADITIONIBUS



**S**trage, ruina, vastitate aliis terris praenuntiata, Zephania, ut futuram vrbis Ninive fortem, tristem illum ac lugubrem, quasi spectantium e longinquo tanta molis ruinam oculis subiicit, non eam hominem, sed ferarum foedum atque horribile fore domicilium ac cubile pronuntiat. וְרָבֶצּוּ בְּתוּכָה קְפֹד בְּכַפְתִּירָה וְלִינוּ קָול יְשׁוּרוּן בְּחַלּוֹן גַּזְבָּתָה זֶה inquit. **עֲרוֹבֵת כָּל חַיָּה** quod fere sic interpretantur: Cubabunt in ea greges omnesque genitum ferae, et Pelecanus et Eri- cius pernoctabunt in malogranatis eius: vox cantabit in fenestra: desolario in limine: nam cedrum eius nudavit. Quae magnam partem dubia et obscura, miram non minus, quam molestam sententiarum pro interpretum solertia et numero varietatem ac discrepantiam pepererunt. Sed omissis, quae compilata sunt ab aliis **FULLERO**, **BOCHARTO**, **POLO**, **MARCKIO**, **Criticis Anglicanis** ac famosi operis bibliici item **Anglicani** auctoribus, ea modo, quae ad id, quod, nisi certum, tamen vero proximum sit, inveniendum intelligendumque, videntur necessaria, breuitate orationis comprehensa, libere quidem, sed ut arbitrium penes lectorem sit, dubitationis, si quae haesitandi necessitas incederit, **venia ante exorata**, trademus.

A 3

Eo-



Eorum igitur animalium, quorum mentionem iniicit va-  
tes noster, primum, de quo, quale sit, non satis constat, est פְּלֵכָנָם :  
quamquam, *Pelecanum* esse, postquam extitit BOCHARTVS,  
qui non quidem hanc sententiam primus excogitauit, at suo tamen  
assensu atque auctoritate comprobavit, vix dubitari solet. Quid  
enim quaeso est, quo, praeter tanti viri tamque docti atque in-  
geniosi auctoritatem, vt credamus, valde moueamur? Veterum-  
ne forte interpretum consensu, cui quidem in definiendis cae-  
terarum rerum nominibus haud leue inest momentum, sed qui in  
rebus ad historiam, potissimum naturalem, pertinentibus, inter-  
dum fallax est, atque erroris nomine suspectus? Neque vero  
ille hoc in loco satis ingens ac constans reperitur: communis  
licet BOCHARTO visus. Collatis enim inter se locis, ubi nostrum  
vocabulum legitur, primum retinuerunt Samarianus et ONQUE-  
LOSUS, qui Leuit. XI, 18. habet פְּלֵכָנָם. Deut. XIV, 17. נַּפְרָךְ:  
cui accedit JONATHAN, qui Jes. XXXIV, 11. et Zephan. II,  
14. dedit פְּלֵכָנָם. Deinde Alexandrini habent Leuit. XI, 18. Deut.  
XIV, 17. (non οὐαραντηρίη, vt aliis visum) iidemque Psal. CII,  
7. πελεκάνω, sed Jes. XXXIV, 11. ὄψεις, de qua interpretatio-  
ne paulo inferius quedam monebimus: Zephan. II, 14. Καυκά-  
λεοντες, quod plane abhorret: sed de hoc itidem mox plura.  
Alexandrini adiungere licet AQVILAM et THEODOTIONEM  
quorum alter pro פְּלֵכָנָם non pro פְּלֵכָנָם, vt apud MONTEFAL-  
CONVM, adeoque TROMMIVM in Lexico legitur, πελεκάνω, du-  
cibus, ni fallimur, Alexandrinis; alter μυρμός Zephan. II, 14.  
habet. Tertius est HIERONYMVS, cui in libris Mosaicis atque  
apud Zephaniam פְּלֵכָנָם est Onocrotalus; in Psalmo laudato Peleca-  
nus. Sed quarto SAADIAS habet قَبْقَبَةٌ, uti Arabs Erpenianus,  
قوچى; in reliquis libris versio Arabicæ ex Alexandrina aesti-  
manda: unde sua in hac re auctoritate caret. Chaldaeus vter-  
que, praeter Onquelosum, qui retinuit, in Mose habet נַּפְרָךְ: JO-  
NATHAN in Psalmo נַּפְרָךְ, forte rectius נַּפְרָךְ. Syrus ubi-  
que

que **لَعْنَةً**, quod cum Chaldaeo **نَسْبَةً** idem esse, quis neget? Qui  
 quidem Interpretes, quamvis inter se satis discrepent, tamen  
**BOCHARTVS** (cuius nomine tanto libentius utimur, cum plu-  
 rium nomina tam illustri compendio omitti possint) **نَسْبَةً**, ex  
 eorum auctoritate, *Pelecanum* esse, immodata licentia docuit,  
 neque docuit solum, sed aliis etiam persuasit, alios in paeon-  
 cepta opinione confirmauit. Quod ne temere a nobis dictura  
 videatur, quas illius sententiae rationes attulit, ordine dispositas,  
 age, consideremus. Primum, quo se tuetur, facimus, quod  
**نَسْبَةً** **أَنْسَبَةً**, *euomere*, dictum vult, sequutus quosdam Judaeos,  
 vt sit *auis*, quae cibum evomere soleat. *Pelecanum* autem, vel  
 potius *Onocrotalum* (nam alterum ab altero non satis distinxit **BO-**  
**CHARTVS**) conchas deglutitas evomere constat. At vero, si  
 hoc valuerit multo rectius **نَسْبَةً** *Canis* habendus erit. Nam *Pe-*  
*lecanus* tantum conchas euomir, sed *Canis*, teste **PLINIO**, al-  
 vum etiam vomitione curare docuit. Etiam *Nycticorax* **GES-**  
**NERI** poterat hoc nomine insigniri, qui vomiturientis instar in-  
 ter arundineta clamitare fertur. Deinde verbum illud **نَسْبَةً**  
*euomere*, licet ab hac radice, nec potius a verbo **نَسْبَةً** nomen il-  
 lud dictum concedamus, commentitium videtur. Aliud est  
**نَسْبَةً**, **قَبَّا**, *euomere*, quod etiam *Aethiopibus* in more positum  
 est. Neque enim formarum discrimina, vt solent, temere ne-  
 gligenda. Alterum **BOCHARTI** argumentum est, quod aucto-  
 ribus *Firuzabadio* et *Demirio* قَوْتُ sit *auis* *aquarica* longo collo :  
 sed quam temere inde *Pelecanum* esse concludat, satis manife-  
 stum est. Quod vero *Alexandrini* in *Mose* et *Psalmio*, nec non  
*Aquila* in *Zephania*, interpretati sunt *πελενάνα*, tanto minus as-  
 sensum nobis exprimere debet, quod *Alexandrini* bis aliter Grae-  
 ce converterunt; ac *Theodorion* νυνον posuit. Quoniam igit-  
 tur tres Graeci translatores pugnant contra tres alios; semet  
 ipsi, alii alios, sive atque auctoritate priuant, huiusque nominis  
 igno-



ignorantiam, nisi falsa irrepigit scriptura, haud obscure produnt. Sed hac arte multos fallere solet BOCHARTVS, vt, quos consentientes habeat, lauder, reticeat aduersantes. Quod autem HIERONYMVS in Psalmo reddebat Pelecanum, Graecos imitatus, vt saepe alias, fecit, quo et ipsum Onocrotali nomen pertinet, quod cum Pelecano apud veteres non minus, quam recentiores, promiscum usum habere, vel ex OPPIANO intelligitur. Accedit, quod eadem sententia prorsus repugnat Psalmo CII. Jesaiæ et Zephaniae. Quae tria loca poscunt avem locis desertis assuetam, prior praeterea locus clamosam. Sed Pelecanus et Onocrotalus sunt aues aquaticæ. Hac necessitate compulsus, cum etiam Ardea PLVTARCHO et AELIANO cibum euomere dicitur, nomen Ἄρδη huic quoque proprium fuisse, nulla praeterea ratione addita, sumit. Sed etiam Ardeam auem aquaticam esse monenti, non omnia deserta inaquosa esse responder. Quae responsio superioribus non magis ferri potest. Nam de Jesaiæ et Zephania foras illius valuerit: sed in Psalmo, cum ea avis ḤΑΡΗ קַרְבָּה Koar deserti dicatur, campis magis, quam aquis assuetam intelligi planum est.

Nobis quidem vero simillimum videtur, ḤΑΡΗ esse Cornicem. Primum enim Arabes hoc nomen, alter قوق, alter قبف interpretati sunt: vnde patet, utramque scripturam de eadem aui valuisse: quod et ipsum infra ex Chaldaica scriptura intelligetur. Jam dubitari nequaquam potest, quin قبف sit Cornix: quod manifeste docet DEMIRIVS apud Bocharium. Deinde Syrus ubique reddit لـ، quod idem est cum قوق: quare verendum erat Cornix, vt PETRVS BENEDICTVS in Ephraemo Syro rectissime convertit, quamquam etiam semel posuit Picam, quam ineptus GABRIELIS SIONITA, quem versionis Syriacæ interpretem ferunt, praeter Cygnum et Pelecanum ipsum, Cornici pessimo exemplo substituit. Tertio loco consentit JONATHAN, quando حـ و حـ، alterum generis masculini, alterum foemini-

minini, utrumque idem cum **כָּנִיס** *Cornice* pro Hebr. **קַאת** de-  
 dit. Neque minus quarto *Talmudici*, qui dicunt **קַאת** esse, quod  
 idem sit **קֵיק**: loca sunt a BOCHARTO nec non a **B V X-**  
**T O R P I O** laudata. Quibus fere accedunt Rabbini. KIMCHIVS  
 ad Zephani. II, 14. **קַאת הַיָּא** *הַקֵּיק*. In *Michlol*  
*Zophi* P. 2. **קַאת שְׁרֹשׁוֹ** **קַאת** וּבְתַלְמוֹד אָסָר רָבוֹ יְהוּדָה **קַאת**  
**קֵיק radix est** *קַאת et in Talmude Rabbinus Juda,* **קַאת**, di-  
 cit, **esse** **קֵיק**. Laudat deinde loca Talmudica alia supra iam  
 memorata. Eodem fere modo ad Leuitici Cap. XI. et ad Ze-  
 phani. II. Quod si vero etiam Rabbini quidam de aue cogitarunt  
 habitante ad maria, eamque ob causam fortassis de Pelecano; ta-  
 men omnis haec opinio nata est ex eo, quod nonnulli nominis  
 istius originem ductam voluerunt a **קֵיק** *vomere*. Ita **BAAL**  
**H A T T U R I M** ad Leuit. XI. **הַקַּאת רְרַכּוֹ לְהַקְּיָא**: neque aliter  
 ABENESRA ibidem: quamquam idem ad Ps. CII, 7. **תִּירְאֶנְתֶּן** esse  
 radicale monet: ut secum ipse pugnet. Vnde KIMCHIVS ad  
 Esai XXXIV. **קַאת הַוָּה הַנְּקָרְךָ בְּמִשְׁנָה** **קֵיק** וּהַוָּה **עַפְתָּרְךָ** **מְרַכְּרֵךְ** **הַיִם**  
**קַאת** *Kaat vocatur in Mischna Kik: avis est, quae ha-*  
*bitat in deserto: reperitur in oppidis maritimis.* Quae cum in-  
 ter se pugnant, post **מְרַכְּרֵךְ** sine dubio exciderunt talia:  
**אֲוֹתְרוּתָהּ**, hoc est, *sunt qui dicunt, reperiri in oppidis mariti-*  
*mis.* Sed rectissime eam aueni collocat in solitudinibus Kim-  
 chius. Vnde autem ista Glossa sit profecta, quae in Talmude  
**קֵיק חִירּוּת** *explicat Anseres, difficile est intellectu.* Il-  
 lud vero certissimum, **קַאת** non esse Anserem. Neque illud  
 potest intelligi *Anser sylvestris*, quoniam hic dici solet **אוֹרֵךְ**  
**הַבָּרְךָ**. Fortassis auctor istius glossae, sonum ac strepitum Anse-  
 rum nomine **פְּפָ** significari existimauit. Quin etiam, quo minus  
 sententiae nostrae nouitas vel potius vetustas cuiusquam animum  
 offendat, vulgaris haec est inter Judaeos nostros opinio: siqui-  
 dem



dem et ipsa versio Bibliorum Germanica, sed Judaico scribendi more exarata, pro ἈΝΡ reddidit Grau h. e. Kray vel Kräbe. Igitur omnes interpretes veteres, praeter tres Graecos (versio enim Latina numerari non magis potest, quam Arabica, vbi est Alexandrinae imitatrix) quin etiam plerique Rabbinorum ሙנְדָה esse Cornicem, uno ore docent.

Quid? quod etiam Alexandrini Jesiae et Zephaniae interpres ad eandem sententiam accedere videntur. Quando enim in Zephania pro ሙנְדָה posuerunt χαμαιλεοντας atque pro የርብ አጋኗኑ, qua tandem ratione in hanc interpretationem delati sunt? totius loci versio haec est: *Και νεηησούται ἐν μεσῳ ἀντῃ ποιμανικοὶ παις τα ὅρμα της γῆς, και χαμαιλεοντες (ἈΝΡ) και ἔχων ἐν τοῖς Φατνωμάσιν ἀντῃς ποιησθεούται· και θηρία Φωνησει ἐν τοῖς διορυγασιν ἀντῃς, και πορανες (የርብ) ἐν τοῖς πυλωσιν ἀντῃς.* Quid est vero similius, quam ordinem horum duorum verborum perturbatum esse, ut loco χαμαιλεοντες reponendum sit Κορανες et loco πορανες, χαμαιλεοντες. Cui suspicioni robur ac pondus addent, quae infra de የርብ dicentur. Similis eaque longe maior ordinis perturbatio reperitur in descriptione avium immundarum Leuit. XI. et Deuter. XIV. Quod si vero sumptum fuerit, pro ሙנְדָה redditum esse Κορανες Coruus, huius nomine ipsam Cornicem ostendi suspicamur. Est enim Cornix, quod inter omnes constat, avis quaedam, forma et magnitudine, inter Coruum et Graculam media, propiusque ab illius specie abest. Vnde ቤት ሂርብ, quod Corui proprium nomen est, etiam de Cornice apud Arabes invaluit, adiecto plerumque nomine صغير parvus: quin Cornicem et Coruum eiusdem generis Arabes docent. Hanc ob caussam et Coruus et Cornix Κρωτειν crocitare et cornicari, dicuntur: a quo verbo nomen Cornicis ductum esse tradit Erymologicum M. his verbis: Κορωνη, το γωνι παρω το προω πρωνη, και πλεονασμω τε ο, πορωνη. Hinc ipsi Alexandrini Jerem. III, 2. רַבְתָּה וְרַבְתָּה inficiata es ipsis, ut Arabs in deserto, עֲרָבָה legendi,

do, Graece reddiderunt: ἐναβίσας ἀντοις ὥστε πορωνη ἡρηματινη.  
Idem forsitan accidit nomini Graeco Κοραξ apud autores profanos, quando aetatem diuturnam eius praedicant, quo nomine alias Cornices laudant. HESIODVS centum saecula viuere Coruum ait, quod etiam notauerunt PLINIVS et SCHOLIASTES LYCOPHRONIS ad v. 793.

Συφαρ θαυμαται ποντιου Φυγων σκεπαι  
Κοραξ συν ὄπλοις, Νηριτων δρυμων πελας.

Decrepitus morietur, marino elapsus tegmini  
Coruus cum armis, Neritios prope salius.

Scholiastes ita: Κοραξ ειπε τον Οδυσσεα δια το πολυ χρονιον,  
ἐναρον γαρ ὅτῳ ζηγενεας, παδ' Ησιοδον ὁ ποραξ. Sed hoc fre-  
quentius de Cornice. JUVENALIS :

Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero  
Exemplum virae fuit a cornice secundae.

Omittimus ARISTOPHANEM, HORATIVM, in primis PLI-  
NIV M. Videsis POTTERVM ad Lycophronem. Quod autem  
תַּנְרַ tamquam de pluribus dictum Graeci interpretati sunt, de  
more fecerunt: sic בָּרְךִּים ipsi חַמְאֵלָוֹתָשׁ furent, non חַמְאֵלָוֹתָשׁ et  
בָּרְךִּים: neque aliter saepe alias. Itaque non statim varie-  
tas scripturae in auxilium vocanda est. Similem errorem irrepsi-  
se suspicamur Ief. XXXIV, vbi haud aptius pro תַּנְרַ reperitur  
apud Alexandrinos OPNEA, quod a KOPKEΣ pro KOPAKEΣ  
per scripturae compendium, ductum videtur.

Jam cuique loco, vbi nostrum תַּנְרַ legitur, si quae auis  
alia, Cornix accommodata est. Quod Levit. XI, 18. certe non  
negari; in reliquis locis etiam iis, qui vel Cornicis, quae sic na-  
tura, ex JONSTONO didicerunt, probari debet. Versatur  
enim Cornix praecipue circa vrbes et domos: quemadmodum



a Iesaja et Zephania in urbibus Ninive et Zione collocatur. HE-SIODVS in O. et D. v. 744. 745.

*Μηδε δομον ποιων ἀνεπίξεσον ηαταλειπειν,  
Μη τοι ἐφεζομενη πρωζη λακερυδα πορώνη.*

*Neque domum faciens imperfectam relinquito,  
Ne forte insidens crocitet stridula cornix.*

In primis autem *cineræ Cornix* per aestatem in montana abit: ac *coerulea* potissimum incolit salsus, locaque solitaria, cuius generis sunt מְרֻבָּרִם campi inculti nec habitari. Quam ob rem Psalmus CII. קָרְאָת מְדֻכָּר, quea dicitur Alexandrinis Jerem. III, 2. Κορώνη ἡρημωμένη, se suosque fletus comparat poeta diuinus. Est enim *Cornix* garrula, cantuque obstrepero, siue, ut LV-CRETIO dicitur, rauisono, nobilitata. Quare a strepitu Cornices nomen ήντκ inuenisse videntur: id quod in animalibus solenne est.

Sequitur alterum eorum animalium, quae *Zephania* olim urbem amplissimam, sed suis ciuibus orbam occupatura præ-significauit. קָפֹר est, in varias formas ab interpretibus transformatum. Tanta est huius nominis obscuritas. Litteris ac sono vicinum קָפֹר nihilo notius. Vtrumque apud antiquos translatores, ob leuissimi discriminis neglectum commune *Hericium* nomen. Sed inter hos quo amicior est consensus et quasi conspiratio; tanto grauior diuisit controuersia recentiores, ex Judaeorum, alia atque alia molientium, dissensi occasione arrepta. Sed arbiter vltro oblatus, quem saepe dicimus saepiusque dicemus, BOCHARTVS, animis ad concordiam reuocatis, ita certamini finem fecit, ut קָפֹר *Hericium* itemque *Hystricem*, קָפֹר *Jaculum* serpentem esse decerneret. Neque inde ab eius memoria, quam suo studio parauerat, pax vñquam, mirum, turbata. Quando igitur veri investigandi atque inueniendi cupiditate compul-





cum קְפָרָן Hebraico, quem faciunt veteres *Erinaceum*: at BOCHARTVS nulla firma ratione allata, serpentem *Faculum*: ob quem errorem, quem errauit BOCHARTVS, oculatiorem omnibus eum temere pronuntiauit CASTELLVS. Vtque si contulisset Aethiopicum קְנַפֵּץ *Hystrix*, non קְפָרָן; facile vidisset, Hebraicum קְפָרָן non autem קְפָרָן, Arabico قَنْفَذَةَ repondere. Neque litterarum Aethiopicarum alias princeps JOBVS LVDOLFVS in *Commentario ad Historiam Aethiopicam* p. 207. ab hoc errore immunis fuit. Itaque quid קְפָרָן sit, ex iis, quae haec tenus disputauimus, satis pater, *Hystrix*; fortassis etiam ERICUS: eodem enim genere vterque continetur: sed nomen קְפָרָן obscurum manet. Nam quod veteres cum Rabbiois ERICUM voluerunt; sermonis, cui assueti erant, Chaldaici, vbi קְפָרָן scribitur קְנַפֵּץ, simili verbo decepti videntur.

Sed unde certius quidquam exquirendum sit, nos quidem nescire haud grauate confitemur. Addemus vero, ne diligenter huic nomini nostra defuisse videatur, quae coniectura potuimus hucusque assequi, aliis forsitan certiora. KIMCHIVS quidem vterque קְפָרָן contulerunt cum Arabico קְנַפֵּץ: ita hoc nomen scriptum legitur apud KIMCHIVM ad *Jes.* XXXIV. et in *Michlol Jophi ad Zephan.* II. Sed rectius KIMCHIVS scripsit ad *Jes.* XIV. 23. et *Zephan.* II. קְנַפֵּץ, ut SALOMO, filius Melchi, ad *Jesaiam* bis. קְנַפֵּץ autem Gallice dici volunt *نَسْرَن* h. e. *Tortue*, *Testudo*. Castigauit KIMCHIOS BOCHARTVS: quod تَسْلَخَنَةَ *Testudo* sit, non illud nomen, quod voluerunt KIMCHII. Sed fortassis veri quid in medium attulerunt. Nam nomina Arabica ERICUS propria, *Testudini* fere sunt communia: ut طَوْرَهُ est *Testudo* et *Erinaceus*: nec minus قَنْفَذَةَ. Vnde facile fieri potuit, vt etiam قَنْفَذَةَ, quod KIMCHIORVM קְנַפֵּץ vi detur, *Echini Testudinisque* nomen commune esset. Sed forsitan

tan illud ipsum vocabulum קְרָבֵר, soni vicinitate KIMCHIVM iuniorem, sermonis Arabici rudem, fefellit. Quin ne Tefludo quidem iis, quae Jesaias Cap. XXXIV. et Zephaniae de קְפּוֹד scriperunt, satis congruit.

Forsitan igitur Hebraica קְפּוֹד et קְרָבֵר uno Arabico nomine قَنْفَد, quod scripturae priori tantum conuenit, comprehensa sunt, hoc quidem modo, ut Arabibus duo nomina alterum קְפּוֹד قَنْفَد, alterum קְרָבֵר قَنْفَد olim fuerint, quae deinde in unum coalescerent. Cui suspicioni fauent varia huius commutationis exempla. Sic قَنْفَد Erinacei et Testitudinis communne nomen est: sed Testitudinem designare videtur, non per se ac proprie, sed quod eidem verbo admixtum est aliud قَنْفَد, quod Testitudini proprium mansit. Ita لَّا est acriber incessit, non per se, sed ex vicino لَّا, et لَّا lupus proprie est لَّارن: et quae sunt huius generis plura. Litterae enim لَّا, a Grammaticis inventae, in veteri lingua a لَّا nullum discrimen. Inde apud scriptores mirum, quanta perrurbatio, dum, neglecta distinctione, altera littera pro altera, per negligentiam librariorum, irrepsit. Sunt quoque vel hodienum Arabes, qui ab his litterarum formas mutuarunt, Persae, punctorum eiusmodi valde negligentes, ut CHARDINVS multis testatur: quin ipse BOCHARTVS saepius قَنْفَد pro قَنْفَد exarauit haud circumspectius. Itaque quem قَنْفَد sit et de Hystrice et de Ericio vistatum, ita rectius scribi videri possit Hystricis nomen, ut حَرَق idem sit: praesertim cum Aethiopice حَرَق Hystrix dicatur, ut ostendit JOBVS LVDOLFVS. Sed quando Erinaceus intelligeretur, fortassis scriptura قَنْفَد حَرَق olim obtinuit, postea in قَنْفَد mutata, ut Hystrici et Erinaceo, generis propinquitate iunctis,

idem

idem nomen constaret. Itaque quamquam non tolli, tamē levari possit BOCHARTI error; restitui autem sua veteribus, qui קפוד et קפָר indiscriminatim *Echinum* interpretati sunt, quodammodo auctoritas.

Ita vero nitimus non, nisi conjectura eaque satis improbabili. Auem enim esse קפָר, quid tandem est vero similius, quid clarius? Apud *Esaiam* collocatur inter קאת וַנְשׁוֹת et עֲרֵב: vbi profecto nullus *Hystrici*, multo minus *Ericio* locus. *Zephaniahs* *Jesaiam* imitatus, *Cornici* adiungit. Quis non iterum auem videat? Ita R. SAL. ISAACVS ad *Jes.* XXXIV. שֻׁרְף הַפּוֹרֶח בְּלִילָה צְאוֹתָא בְּרַעַנְבָּה. *e. auis*, que noctu volat, Gallice *Chouette* *h. e. Noctua*: aptissime. Idem ad *Zephan.* II, קאת וְקִרְפָּד עופרת *Kaat et Kippod* sunt aues. R. SALOMO filius Melchi ad *Jes.* XIV. קפָר הַוָּה שֻׁרְף *Kippod* est *auis* babicans in deserto. Eodem modo ad *Jes.* XXXIV. Etiam ABEN ESRAE *auis* est, *Judaicusque nostratus*. Quorsum vero haec omnia? ut appareat, eos, qui auem, eamque *Noctuam*, interpretati sunt, legisse קפָר, nomen apud *Targumistas Talmudicosque* frequens. Quam vero proclives sint ad permiscenda inter se haec bina nomina librarii, documento sint illa BVXTORFII in Lexico Chaldaico: In *Gemara edit.* Basileensis hic legitur קפָר, sed in *Tosephos Cholin* fol. 63. col. I. adducitur hic locus et legitur קרְפָּת. Judicent alii.

Proxima verba קול יְשֻׁרָּר בְּחַלְן vox cantabit in fenestra. Vocem intelligunt *auis*. Sed istud omne magno vatis eiusque elegantiae incommodo. Nam enumerare animalia coepit, quae urbem occupatura sint, singula: his autem intermiscere vniuersarum anium nomen, vbi nominanda erat *auis* quaedam, aut aliud animal singulare, quid magis ab auctoris venusta-

nustate abhorret? At haud multo aliter veteres. HIERONYMVS:  
*vox cantantis in fenestra: Chaldaeus: קָל שָׁפָא וּמִנְצָח בְּכֹא,*  
*vox garrientis in fenestra. Vt erque רַשְׁרֵך antē אַשְׁר transferen-*  
*do inseruit. Sed ab hac interpretatione differe Alexandrina:*  
*ναι θηρία Φωνῆσι, et belluae clamabunt. Similiter Syrus*  
*تَهْرِيْهَةَ حَسَنَةَ لَوْلَمَوَ وَبَلْلَعَةَ et belluae rugient in ea. Arabs:*  
*والوحش تصوت في تراها et belluae vocem edent in offis eius.*  
*Syrus et Arabs Alexandrinos sequuti, per exigua mutatione, orta*  
*ex ambiguitate verbi διορυγμα, in eo consentiunt, de Bellua loqui*  
*vatem. Sed ne hoc quidem nomen, propterea quod itidem gene-*  
*ris est, nec formae, sententiae appositum: nisi forte θηρία apud*  
*Alexandrinos Hyaenas intelligi oporteat, quas constat bellugas*  
*fuisse κάτ' ἐξοχῇ appellatas, ut vel nuper notauit cel. BEC-*  
*MANNVS in primo libello de historia naturali Veterum. Sunt et-*  
*iam loca quedam ea de re apud BOCHARTVM. Sed θηρία vo-*  
*cari Graecis Hyaenas non meminimus: contra θηρ illis est Leo.*  
*Cuiusmodi fera singularis quin Alexandrinis θηρίον hoc loco di-*  
*catur, parum habere videatur dubitationis: fortassis Crocodilus:*  
*si quidem in Aegypto degerunt. Sed hoc quidem curiosius in-*  
*uestigare, vix operae pretium est: illud momenti maioris, quo*  
*iure fuerit ex Hebraico לְבָבָה Bellua expressa. Neque enim, quod*  
*sciamus, in villa linguarum Orientalium vocabulum לְבָבָה hunc*  
*volum habet. Si quis autem λέγει fera, pro λέγει legisse Alexandrinos*  
*putet; is res diuersissimas commiscere videtur. Quam ob rem, quin*  
*scriptura Graeca sana sit, valde dubitamus. Hebraica sunt:*  
*תְּהִרְיָה, Graeca: θηρία Φωνῆσι. Videtur Hebraicum לְבָבָה.*  
*Φωνή, in Graeco Φωνῆσι corrupto latere. Sed quid sit reponen-*  
*dendum, infra fortassis emerget. Jam quae nostra sic sententia*  
*dicemus.*

-31A

C

Re-

Reliqua sua vocabulo. קָרְלַה significatione, in verbo יִשְׁרָרְרַה haeremus. Quod quidem, quamquam est per se verbum temporis futuri, tamen in nominis rationem abiisse suspicamur. Est id Hebraic sôlenne, praesertim ad nomina propria formanda, ut Chron. IV. 34. יְרֻבֵּץ ib. v. 9. יְשִׁיבָה 1. יְמִלֵּחַ alia. Nostro est simillimum קְבָבָחַ, unde Nehem. XI, 25. Ductum igitur est a שֶׁרֶר. Idem autem putamus cum Chaldaico שְׁוֹנָא et Arabic سُنْرَه vel سَنَرَه, utroque indubitate nomine Felis. Quod ne cui videatur paullo alienius, qua cognatione tria illa nomina inter se contineantur, exponemus. Atque Chaldaici quidem ratio haec est. Jod, quod est in יה ab initio, tamquam ad formam pertinens, omissum. Jam constat binas litteras easdem ope Dagesch fortis saepius in unam contrahi, quod Dagesch resoluere Syri, Chaldae, Samaritani, Aethiopes Arabesque in litteram Nun solent. Sic נָגָה capra, עֲתָנָא, et, quae supra habuimus, קָפָר et קָפָד, eodem modo: ut plura exempla omittamus. Itaque ex שֶׁר fit Chaldaice רְשָׁוָה, רְשָׁשָׁה, et, in Dagesch fortis compensationem, litera Nun interiecta, שְׁנָא, cui Arabicum سَنَور et سَنَار consonum esse, nemo facile negauerit. Itaque קָרְלַה vox reddimus: vox Felis in fenestra. Videtur autem hoc loco Felis fera significari, quod in deserta urbe positur: quemadmodum Arabicum ضَبَوْنَ, Felis, Hebraic נָגָה Felis fera est. De horribili Felium vulnitu, quo respicit Zephania, non opus est, nostra legentes monere.

Verbo adhuc de Graecis, de quibus iam suora. Quid? Si verba θηρία φωνησι male traiecta pro ΦΩΝΗΣΕΙΘΡΙΑ, haec autem ex ΦΩΝΗΑΙΔΟΥΠΟΥ, h. e. vox felis, quemadmodum in Hebraic est, corrupta dicamus? Frequentissimae versionis

Ale-

Alexandrinae corruptelae hanc immutandi audaciam, nisi leuabunt, certe excusabunt. Διοργυας autem, non souea, sed id quod perossum est, bene pro הַלְׁן reddiderunt. Ea enim fenestrarum ratio in oriente. Caeterum in describenda vastitate magna est inter OSSIANVM et ZEPHANIAM consensio: ita enim ille in Carmine, quod inscribitur, Carbon: *The fox looked out, from the windows, Vulpes propriebat per fenestras.*

Sequitur deinceps apud vatem חַרְבָּ בְּכָךְ, *desolatio in lime*: satis ieiune. Quis enim in carmine elegant ac venusto, limen desolationi obnoxium aequo animo ferat? JONATHAN: חַרְבָּ תְּרֵעָא *desolarunt portam: Syrus: סִתְּמָחָת gladius in portis eius*; ita GABRIELIS SIONITA vertit; sed rectius: *desolatio in portis eius*: nam מִזְבֵּחַ etiam est *desolatio*. Portas plures posuit, ducibus Graecis. De vtraque et Chaldae et Syri interpretatione, quod modo de prima diximus, valet. Itaque forsitan optime Alexandrini: Κορωνες εν τοις πυλωσιν ἀνηγε, corui in portis eius: quod Arabs de verbo expressit. Nihil enim huic loco aptius nomine animalis, desertum inhabitantis. Sed quae ratio est inter חַרְבָּ et κορωνα coruum? num forte legerunt עֲרָבָ ? quam scripturam praetulisse videtur ipse Lutherus noster: ita enim ille: *die Raben auf den Balcken*. Sed ad varietatem scripturae leuiter confugere, vbi est auxilium in propinquio, hoc fuerit fortasse temeritatis. Quid igitur? Est Syris Hebraico חַוְרָב, simile verbum מִזְבֵּחַ, quod Syrus ubique proui posuit in libris sacris: sed utrumque nomen cuius auis sit, adhuc ignotum. Nam BOCHARTVM, qui, haud dubie Gabrielem Sionitam sequutus, pro ciconia habuit, merito reprehendit Illustris MICHAELIS in Questionibus Arabicis, ipse quidem, quae sit, incertus; monens tamen, Ephraemo Syro turpem ac folidam avem dici. Qua de causa מִזְבֵּחַ nobis videtur



esse Otidis sive Tardae species. Nam بُزْكَ est mas avis حباري، quae, ut Arabes referunt, est avis magna, magni colli, cinerei coloris, tardi incessus er volatus, bonae carnis. Quae descriptio, quamquam minus plena, satis tamen Otidem prodit, non ipsam quidem nostram; sed orientalem, quam SHAWIVS p. 282. 283. descripsit. Posuit Arabs haec auem pro ea, quae est *Tesi* XXXIV, II. apud Graecos Βισι. Ex Arabibus multa de eadem avi حباري concessit loca BOCHARTVS P. II. p. 282. sqq. Neque vero soni tantum affinitate accedit ad auem حباري، Arabica Otiis; sed etiam moribus et natura. Eam enim, quando Arabes tradunt, auem esse sordidam atque foetore horrendam; cum Epbraeo supra laudato admodum conuenient: vnde in proverbiu abiu: اسلخ من حباري merdosor Otide. Solitudinis amica, procul ab urbibus locisque frequentatis degit. Vnde fortassis non male inter desolatae urbis incolas referatur. Sed repugnat ipsum Graecum nomen νοραξ, quod Corui aut Cornicis est, non Tardae. Magis fortassis conueniat *Bubo*, cuius foemina nam Arabes ام الخراب، matrem solitudinis vocant, nec minus عرب الليل, *Corvus noctis* sive νυκτινοραξ, pro quo nomine νοραξ simpliciter positus videri possit. Sed quoniam hoc admodum a veri specie abhorret, cum nomen νυκτινοραξ Alexandrinis alias in usu fuerit; ne in hac quidem opinione tuto acquiescere licet. Est vero obiter monendum, ex iis, quae de Nycticorace diximus, solui quaestionem illustris MICHAELIS, quae avis sit νυκτινοραξ, in Arabiam peregrinantibus propositam. Itaque Nycticorax *Gesneri*, quem JONSTONVS, quem recentiores, ut KLEINIVS, LINNAEVVS, inter Ardeas referri volunt, a Nycticorace veterum proorsus diversa est. Haec opus erat praemonere, ut pro حرب a LXX. Interpretibus verbum νοραξ omnino non esse redditum appareret.

Ali-

Aliunde igitur lux exquirenda. Sumissimus supra, idque haud temere, חַמְלָא nomine κορνος ab Alexandrinis fuisse redditum. Vnde sequitur, verbo חַרְב in eorum versione non respondere κορνος, *Cornus*, sed χαμαιλεόντας, *Chamaeleones*. Quod si iam nostra legentibus probabimus; fieri non potest, quin non solum, quod supra de חַמְלָא, eiusque Graeca interpretatione diximus, valde confirmetur; sed etiam ipsa nominis interpretatio extra omnem dubitationem collocetur.

Arabibus vera frequentissimum Chamaeleontis nomen est حَرْب, quod cum حَرْب eiusdem radicis est. Dicitum vult BOCHARTVS, qui הנשׁתָת Chamaeleontem finxit, quemadmodum Judaei quidam apud R. SALOMONEM Filium Melchi ad Jes. XXXIV. לִרְיָה in צְנַמְּרֵי transfigurarunt, a حَرْب baſta: ut sit quasi iaculatrix. Solet enim linguam, quam longissimam habet, vibrare in insecta. Sed oppido fallitur BOCHARTVS. Nam hastae nomen longius a radice distat, et alia via inde ducta est. Dicitus potius a בְּרֶבֶן, cuius propria vis ac potestas apud Hebraeos, Chaldaeos et Syros est in exſiccando, וְבָשָׂר: quapropter de aquis exſiccandis Jes. XIX, 5. LI, 10. dictum, et cum בָּשָׂר, exſiccari, coniunctum legitur. Nam sole gaudet Chamaeleon, eiusque quasi calore exſiccatur. پستقبل الشمس بدور \* معها حبّشما دارت \* conuertit se ad solem, et quoconque bic orbem infirmit, ille versatur. Hoc quidem nomine praecepit laudatur Arabibus, vt CAABO ZOHEIRIO v. 29. meridiani solis aestum describenti:

اذا عرقت - - - - - وقد تلغع بالقور العساقيـل \*



يُوْمًا يَظْلِمُ بِهِ الْحَرِّيْا مُصْطَخِدًا  
كَانَ ضَاحِيْهِ بِالشَّمْسِ مَمْلُوكًا  
— *quum sudat (Camela)*  
*Montesque vapor operit:*  
*Quando apricatur in eo Chamaeleon,*  
*Ac si pars eius exterior in sole testa.*  
DAHMANO AMRIO apud Letrum, eodem fere modo :

قطعت وحرّا الضاحي متّشمس  
*Transiui, et Chamaeleon illustri iam die soli expositus.*

Huc sine dubio respicit Zephania, quando Chamaeleonem  
in limine collocat, vbi tamquam in loco aprico, solis vndique ra-  
diis feriri possit. Fortassis inde huic animali *corpus asperum, ceu-*  
*Crocodilo*, quod tribuit PLINIUS, quodque tuberculis minimis  
obsitum esse notauit Cel. BECMANNVS in libello primo de *Histo-*  
*ria naturali Veterum*. Denique eo magis huic loco conuenit  
Chamaeleon, quo magis constat, vastis locis atque desertis hoc  
animal gaudere.

Naturam autem ac mores huius animalis bene quidem; at  
non satis copiose descripsit HASSELQVISTVS, certus ipse te-  
stis; sed in veteres hac in re paulo inuiriosior. Nam colorem  
ne veteres quidem omnes, cuiusque generis confinxerunt: id  
quod vel AELIANVS docet, magnus ille alias fabulator: εἰ γὰρ,  
inquit, παρετυχοί μελάνη τῷ εἶδός, ὅδε ἐξεργέεται μορφωμα εἰς  
χλωροτηταν μεταμορφισθανενος. Nam nigrum si offenderis ipsum  
specie, quasi mutata ueste, in viridem formam abit. Videſis  
SVIDAM et Cel. HEVSINGERVM ad Juliani Caſares. Similiter  
Caabi Scholiaſtes: وَتَنَلُونَ الْوَانَةَ بِحَرِّ الشَّمْسِ وَهِيَ الظَّلَلُ الْخَضْرَاءُ  
colorē mutat in æſtu ſolis, eſque mox niger, mox viridis.

Sed

Sed ultimorum verborum: כִּי אַרְזָה עֲרָה omnino est ratio difficillima: vulgo sic Latine conuertunt: quando tabularum eius (vrbis) cedrinum nudauerit Deus; vel: nam tabularum eius cedrinum nudabit. Sed pro כִּי nam reddi, nisi summo sententiae detimento, non potest: quando, quodammodo potest. Etenim Chamaeleona dixerat Vates habitaturum in limine. Cur vero id fiat propterea, quod nudarum si tabularum? Sed fatis quoque iejuue vertitur: quando. Quae enim est ratio Iainis et tabulati cedrini? cur tum in limine commoretur Chamaeleon, cum destruunt fuerit tabularum? Est igitur vero simili-  
mum, particulae כִּי aliam subesse notationem.

Alterum nomen אַרְזָה haud planius. Nam quorsum illud נָא fine additum? Putant esse pronomen *eius*, sed caret punc-  
to, quod dicitur Mappik. Vnde נָא per se nomen cum נָא foemini generis indice, esse intelligitur, non ductum ab נָא, quae cedrus est, aut si malis, pinus: nam CELSII aut TREVII aut eorum, qui contra hunc disputatione, caussam, quoniam il-  
lud ipsum nomen, ut diximus, huic loco vindicari nequit, iam non agimus. Itaque et forma nominis אַרְזָה et, quod iam su-  
pra ostensum est, reliqua verba, quibuscum iunctum est, non ad cedrum, sed alio illud spectare, satis declarant.

Tertium denique verbum עֲרָה nudauit, quo modo locum  
hic habere possit, nos quidem ignoramus. Quid enim est, nu-  
dare tabularum? idem voluit, quod sit dericere ac destruere, sed  
nulla ratione allata. Nudare autem et destruere, quam diuersae  
rationis? Nonne eodem iure nudare et aedificare et flere et ri-  
dere et alia omnia eiusdem significationis sumi possunt? Itaque  
haec



haec tria verba, quae diximus, aliam sententiam flagrant; vulgari reiecta.

His forsitan aliisque rationibus, (neque enim aliquas in medium attulit) adductus fuit doctissimus FVNCK IVS, vt in Symbolis ad Interpretationem Codicis S. nouam tentaret explicandi rationem, in hunc modum: nam arbor indigena surgit: quae quidem interpretatio multum est a superioribus diuerfa. Neque vero minus ab hoc loco videri possit aliena: propterea quod variae rationes, quas ante contra vulgarem sententiam attulimus, etiam huic repugnant. Verum poterat Vir doctissimus, modo in nostram superiorum verborum interpretationem ipse incidisset, magnam suae sententiae veri speciem conciliare: quod eius loco, vt nihil, quod ad veri inuentionem quodam modo pertineat, praetermisso a nobis videatur, iam facturi sumus. חָרֵב, quod proximum est verbum, Chamaeleonta esse, satis superque a nobis oftensum videtur. Atqui familiarissimum huius animalis domicilium, sunt arbores fructicesque. SCHOLIASTES ad Caabum: يَقْلَدُ الْمَرْبَى تَكُونُ وَقْتُ الْهَاجِرَةِ فِي أَعْلَى الشَّجَرَةِ dicuntur Chamaeleon tempore meridei in summo arboris fastigio versari. Idem notauit GO-LIVS ad Adagia Arab. p. 110 ac LETTVS ad Caabum. Quo etiam ille a BOCHARTO, sed alio consilio, laudatus locus ex Tertulliano pertinet: Chamaeleonem -- cum offenderis apud vineam ferme sub pampino torum, ridebis illico audaciam nominis. Quae momenta si addantur doctissimi FVNCKII sententiae, satis elegans, orationique maxime accommodata videatur. Sed repugnant eidem rationes longe firmiores, quae iam proferendae sunt. Sumit Vir doctissimus, verbo Hebraico עַרְבָּה, vt Arabico عَرَبٌ pro praecipue significationem eminendi subesse hinc illud surgere. At hoc concessio, non videmus, cur עַרְבָּה, coniugationi secundae conuenienter, non עַרְבָּה apposite ad primam, scriptum fuerit. Sed

vt

ut hoc declinet Vir doctissimus, fortassis puncta mutari atque ערד exarari iubebit: quamquam nihil de hac re monuit. Sumit etiam altero loco, אַרְזָה virtiose scriptum, in אַרְזָה, quae *indigena arbor* ipsi dicitur, mutandum esse. In quam opinionem Virum doctissimum delatum putamus versione Alexandrinorum Ps. XXXVII, 35. vbi pro Hebraico אַרְזָה illi cum HIERONYMO, Arabe atque Aerbiope, Graecae versionis auctoritate lapsis, אַרְזָה legerunt, quemadmodum inversa ratione doctissimus FVNCKIVS hoc loco pro אַרְזָה legendum אַרְזָה putat. Sed omnis haec suspicio nata est ex ea, quam proposita, verbi הַרְעֵי interpretatione. Quod si enim fuerit *crescere*; cedro omnino locus hic esse nequit; quoniam Libano est ea arbor propria, atque ad augendam potius urbis Niniue amoenitatem, quam vastitatem pertinuerit. Jam vero cum *crescendi* notio in verbo הַרְעֵי non una sit, neque illa necessaria, sed pro arbitrio sumta; aliam huius verbi notionem asserri malum, quam eam ob causam mutari alterum nomen אַרְזָה: ut omittamus, si arboris mentio iniiciatur, ut versetur ibi Chamaeleon; non ante in limine habitacorum dici posuisse.

Res igitur reddit ad *Verec Codicis Interpretates*; qui certe ab hodierna interpretandi ratione sic recedunt, ut dubitationi nostrae haud leue inde accedit momentum: quos ne indicta causa condemnemus, quomodo a recta via aberrauerint, edifferemus. Alexandrini habent διοτι νέδρος τῷ ἀρεσκηνίῳ αὐτῆς h. e. quoniam instar cedarum ad sydera usque caput exculit. אַרְזָה igitur pro cedro habuerunt, sed הַרְעֵי pro nomine cum הַ pronominis; ducto ab יְהוָה eminit: quemadmodum Ps. XXXVII, 35. מִתְעַרְבָּה transtulerunt, ἐπαιρούσνος, qui est HIERONYMO elevatus, Syro ~~אַרְזָה~~, se attollentes. ARABS Alexandrinorum vestigia pressit. Cuius translationis sententia, quamquam aliquantum claudicat; tamen est ea, quam hodie tenent, longe aptior. Sed repugnat הַ a fine nominis, אַרְזָה, quod per negligentiam Alexandrini in vertendo omiserunt; vel potius proximo verbo iuxerunt; in hunc modum: אַרְזָה עֲדָה: ut taceamus pun-





Qorum vocalium digeritatem et litterae. Scante אָנָּא absentiam,  
 haud illam quidem plane inaudam; at vero molestam. Sed  
**HIERONYMVS:** quoniam attenuabo robur eius. אַרְוָה pro verbo  
 temporis futuri habuit a רֹהֶה, quod sine dubio responderet Arabico  
 יְסִי detrimento afficere: pro עֵדֶת legit עֲזָבָה: nisi forte ipsum עַרְבָּה  
 roboris notationem, habuit, quemadmodum עַרְבָּה est res praestantior,  
 quam quis possidet. Sed haec sententia, quam frigida!  
 quam miti ac facilis sic pergit Vates oratione, graui ac terribili  
 sententia ante lata. **Syrus:** מְפֻכָּלָה תְּמֻכָּה, מְפֻכָּלָה quoniam ra-  
 dix eius nudata est. אַרְדָּה cum Mappikato ד legit, significazione  
 sumta ab אַרְדָּה firmum esse, radicibus in solum firmiter defixis:  
 vnde יְסִי firmas habens radices arbor. Pro עֵדֶת legit עַרְבָּה.  
 Sententia, quae inde emergit, itidem pessima. Chaldaeus de-  
 nique: וְתַרְוָה et tabularum destruxerunt: quemadmodum  
 verbo de eadem re vsus est idem ille **Jerem.** XXI, 14.  
 וְמַטְלָל et obregit trabibus cedrinis. Ex quo in-  
 telligitur, Chaldaicum in verbulo כ haesitasse; neque enim Chal-  
 daice transluit. Reliquorum duorum verborum sententiam ex-  
 pressit quidem; sed mutata orationis structura. Quibus inter se ri-  
 te collatis, haud dubium cuique erit, ipsis veteribus obscuram  
 horum verborum sententiam fuisse, nec magis quam nostris hodie  
 hominibus perspectam. Neque igitur hoc loco auctoritate eorum  
 nitendum est; sed alia ratio, si quae reliqua nobis fuerit, indagan-  
 da. Itaque si, quod nobis coniectura et ratione assequi licuit, li-  
 bere fuerimus professi, ab omni nos liberos reprehensione futu-  
 ros speramus.

Quam ob rem, quid Zephaniae propositum fuerit, hoc versu  
 docere, in memoriam quisque reuocet velimus. Animalium ille,  
 urbis desolatae olim incolarum, nomina enarrare instituerat.  
 Quid? si eodem haec verba spectare dicamus? rapit enim nos in  
 hanc sententiam ipsa eorum ratio. Nam אַרְדָּה ipsum Arabicum  
 יְסִי esse, quis vel modice vtriusque linguae gnarus non agnoscat?  
 Sed



Sed የኅንድ ስም ነው Lynx: quod genus iracundia feruens, non male reliquis feris; quarum meminit vates, ad augendam teterrimae vastitatis imaginem, societate iunxit; sed ea, quae mutua aliarum in alias saeuitia perpetuoque bello continetur.


Nec minus የዕቃ ስም ነው fera. Habemus in Mischna (nam punctis vocalibus eorumque fulcris verba interdum variare constar) sed quae qualis sit, ipsos Judæorum doctores, quos nimis nostra aetas contemnit, latere videtur. *Tractatu de primitiis fructibus cap. 2. 8.* בָּרוּשׁ בָּו וְרַכִּים שֹׁהָ לְחִיה וְשָׁבָן וְרַכִּים שֹׁהָ לְכָמָה וְלְחִיה וְשָׁבָן שֹׁהָ לְכָמָה וְשָׁבָן וְרַכִּים שֹׁהָ לְכָמָה וְלְחִיה. Quorum verborum quum ineptissimam SVRENHVSIVS exhibuerit interpretationem, aliam substituimus, quae talis est: *Coi alii comparari volunt cum fera, alii cum iumento, alii et cum iumento et cum fera, alii denique neque cum iumento neque cum fera.* In hanc sententiam eodem loco plura leguntur. Sed in tanta doctorum Talmudicorum dissensione, non minus Rabbinis, quid קָרְבָּנִים sit, obscurum fuit. **MALMONIDES** animal esse ait ex hirco et capra compositum: nec multo aliter **BARTENORA**, alius arietem montanum esse, alius hircum, qui cum capra coitum iniuerit, aliis animal quoddam singulare, prodidit. Nos quidem ex Antiloparum genere, de quo **PALLAS** in *Spicilegii Zoologici fasciculo primo* praecclare egit, foisse coniicimus: quoniam, quae Talmudici de hoc animali præcipiunt, Antiloparum generi maxime conuenire videntur. Accedit, quod Phoenicia, Syria, Palæstina, testibus SHAWIO p. 347. et RVSSELLO p. 54. his animalibus abundant: si quidem magnis agminibus sylvas camposque pererrant. Sed natura eorum ac mores prohibent, quo minus, vastitatis augendae gratia, mentionem eorum injici recte poruisse credamus. Quare aliud in medium proferre placet animal, cuius nomen cum קָרְבָּנִים prorsus idem est. **GOLIV** omisit; sed habet DEMIRIVS in his: **الحَوْصَلَةُ وَهُوَ طَابِرٌ كَبِيرٌ لَهُ حَوْصَلَةٌ عَظِيمَةٌ يَتَخَذُ مِنْهَا الْفَرْسُ** وَهُوَ طَابِرٌ كَبِيرٌ لَهُ حَوْصَلَةٌ عَظِيمَةٌ يَتَخَذُ مِنْهَا الْفَرْسُ (C) hoc est, ex versione Celleberrimi KOEHLERI ad *Abulfedae tabulas Syriæ*: *Chausel auis est magna, cum gurgure ingenti, ex qua sunt pelliceae vestes*

(ita)

(ita etiam GOLIVS, sed rectius forsitan marsupia) vocatur ~~ea-~~  
dem Baga et Gamel ma (camelus aquae) et כ Coi : et quae  
sunt reliqua. Verbo עֲנָקֵן est Onocrotalus, qui consuetiore no-  
mine chaufel, quod etiam BOCHARTVS, infcio celeberrimo KOEH-  
LERO, attulit, appellatur. Nec male Onocrotalus in vrbe Niniue  
aquis abundanti, commoraturus dicitur.

Restat עַרְעָם, quod ut supra est dictum, nudaui ver-  
tunt. Nobis ductum videretur ab עַרְעָם, formae גִּרְאָה rumen a  
גִּרְאָה autem, quod idem Arabice עַרְעָם teste GOLIO  
est: vocem edidit Struthiocamelus mas, quod communiter ערָם dicitur.  
Idem voce ערָם: vocem edidit Struthiocamelus et quidem mas; nam  
de femella ערָם arra dicitur. Pugnat igitur secum ipse GOLIVS, to-  
tusque fallitur. Nam ita Arabs quidam apud BOCHARTVM II.p.228.  
بَقَالْ عَارِ الطَّلَبِمْ إِذَا صَاحْ وَالْزَمَارْ صَبَاجْ الْأَنْشَى . Dicitur arra  
Struthio mas, cum clamat et Zimar est vox foeminæ. Ita etiam FI-  
RV ZABADIVS. Vnde גִּרְאָה ipse Struthionis maris clamor. Videretur  
igitur hoc loco גִּרְאָה Struthio esse, cuius profecto aptissime fieri  
mentio hoc loco potuit. Illud autem nemo facile nobis obiciat, quod  
Struthio, vel etiam reliquorum, quae descripsimus, animalium unum  
itemque alterum, alia nomina ferant: quasi adeo pauper fuerit ser-  
mo Hebraeus, ut suum quaeque res idque unum tantum habuerit no-  
men: quod hac ipsa, lingua satis refellitur. Accedit, quod  
varia nomina alienis animalibus ab interpretibus male affida  
fuerunt. Neque ordo, quo iuncta sunt animalia ista apud yatem, no-  
stra sententiae aduersari videbitur: propterea quod Zephania  
non id egit, ut Historiae Naturalis systema componeret.

Ex omnibus autem, quae hactenus disputauimus, si vera sint, effi-  
citur, ita totum locum esse latine conuertendum: cubabunt ibi greges,  
atque cuiusque generis ferue: Cornix et Erinaceus in laquearibus ipsius  
pernoctabunt: clamabit Felis et senestra: Chamæleon apricabitur in limine:  
Onocrotalus, Lynx, Struthiocamelus ibi habitabunt: Graecam autem ver-  
sionem ita corrindam: καὶ νεμπονται ἐν μεσῳ ἀντῃ ποιειν, καὶ παντας της  
θηριας της γῆς, καὶ πορφυρας καὶ ἔχινοι εν τοις Φατνωμασιν ἀντῃ ποιειν  
πονται, καὶ Φωνη διλουρους ἐν τοις διοδυγκασιν ἀντῃς, καὶ χαμαιλεούτες  
ἐν τοις πολωσιν ἀντῃς.



01 A 6712

vd 18

ULB Halle  
003 685 772

3







DE  
**ANIMALIBVS**  
**QVORVM FIT MENTIO**  
ZEPHAN. II. 14.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM  
ORDINE

PRAESIDE  
**IO. ERN. FABRO**

PHIL. D.

DISPUTABIT

AVCTOR

**ERN. LVDOV. FRIEDERICI**  
SLESVICENSIS

SACR. LITTER. CVLTOR.

GOETTINGAE D. APRIL. MDCCCLXIX.

LITTERIS BARMEIERIANIS.

